



V. 2. a

4, 52

290.





1689. Gillii Solleti orat. gratul. ad Dr. Guilielmum Hennicum Auriacum de mi-  
randa rerum in Britannia Civil. Metamorphosi. 6
1690. Prgr. Joh. Godofr. Bergeri, Rectoris. 4.  
G. Willh. Hegelii sermo panegyricus in Leopoldum Magnum de electo coronatoque  
Roman. Rege-Filii Hungarorum rege haeredit. Josepho. 1.  
G. Casp. Kirchmaieri gratulatorius in Leopoldum (et Regiam) propterea quod  
Josephus 26 Jan. rex Hungariae coronatus est. 3.
1691. Prgr. Mich. Watscheri, Rectoris. 44.  
März. Nachtmusik der Studirenden beim Aufenthalt Joh. Georgs III in Wittenberg 21.  
Laurent. Petri orat. panegyricus in Hamburgi laudem u. des prin. Ode auf Hambg. 45.
1693. Prgr. Jo. Godofr. Bergeri, Rectoris. 8.
1696. Nov. Cha. Aug. à Friesen orat. gratul. ad Fridericum Augustum de nato electo  
ratus herede Fried. Augusto latinisch und deutsch. 26.
1697. Febr. Gottfr. de Höveln orator in laudem Lubecae. 46.  
Sept. Prgr. Joh. Henr. Bergeri, Rectoris. 27.  
" Bonn. Sam. Schurzfleischii orat. gratul. in Fried. Augustum II, quod  
rex Poloniarum electus est. 28.
- Oct. G. Casp. Kirchmaieri orat. academi. nominis ac numini Caesar. Majest. gra.  
tul. ob partam victoriam adversus Turcas ad Lentam. 2.
- Nov. G. Casp. Kirchmaieri orat. funebr. in Carol. XI, Suecorum etc regem. 7.
1698. Prgr. Bonn. Sam. Schurzfleischii, Rectoris. 23.
1700. Prgr. Phil. Lud. Hannekerii, Rectoris. 49.
1701. Prgr. G. Guiliel. Kirchmaieri, Rectoris. 50.  
Prgr. Jo. Deutschmanni, Rectoris. 5.  
Prgr. Academiae Vitob., Joh. Gorg. Neumannii interprete, de jubilaer Lucri-  
co, quod Carol. XI in memor. religionis Lutheranae peregit. 9.

In die Biblioth. Miscellan. gehörig:

1701. M. Joh. Eckhardi invitatio ad orationem panegy. ob victoriam a Moschis  
reportatam. Hadae. 10.
- Ejusd. panegyri. in Carol. XII. Hadae. 12.
- Jos. Henr. Opitii orat. in Carol. XII ob liberatam ab obsidione Narvam  
et reportatam a Moschis victoriam. Ciloni. 13.
- Ejusdem. Triumph- Ode, gesungen bei Hältung der Lob-rede auf Carol. XII,  
wegen des Sieges wider die Moscoviter. Kiel. 14.
- Polyc. Lyseri gratul. in natalicia Friderici, Regis in Prussia. Hannover. 37.
- C. Joh. Sigtunii orat. in laudem Friderici IV, ducis Slesvicens, Joh. Bur-  
chardi Maj. progr. et ejusd. epist. et Joh. Hertholdi ad Sigtunium. Ciel. 39.
1702. Academ. Ciloniensis Epicedion in Frideric. IV, Heredis Norvagiae in  
pugna prope Cracoviam occumbentis. Cilon. 38.
1703. Dec. Progr. Herm. v. d. Harde, Rectoris, in novi templi academ. inauger. Helmstädt. 37.
1704. Jan. Progr. Herm. v. d. Harde, Rector. denunciatio inauger. templi accid. Helmstädt. 36.
- ohne Jahr. Henr. Arn. Hookflethi lesus ritualis ad usum rituum ecclesiar. s.  
institutum, defilatum, restitutum a Carol. XI. Monachomonti. 10.
- Polyc. Lyseri anagrammatismi in reditum Georgii Ludovici, ducis  
Brunsvicens. e castris Trans-Albinis, symbolo. In recto decus. Hannover. 35.
- Mich. Kirstenii poema de pace Germaniae panegyri. 51.
- J. W. Panegyri. Christianae, regni Sueciae gubernacula capessenti. 52.

V. 2. a

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*


v. 90.



ORATIONES WITTEMBERGENSES

& alia.

Spaulvici, Graui, Perizonii, et Francii Vascalia Mariae Britannicae Lipsiensi





6  
SERENISSIMO ET INVICTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

CAROLO XI.

SVECORUM, GOTHORUM, ET VANDALORUM REGI HÆREDITARIO, PRINCIPI FINNLANDIÆ, DUCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI POMERAN. CASSUBIÆ ET VENEDORUM, PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO INGRIÆ, ET WISMARIÆ, UT ET COMITI PALATINO AD RHENUM, BAVARIÆ, JULIÆ ET MONTIUM DUCI.

REGI ET DOMINO SUO  
LONGE CLEMENTISSIMO,

*Subjectissimâ devotione*

*dat, dedit, & offert*

*servulus humilimus*

GILLIUS TOLLET.

GVILleLMVs HelnrlCVs , PrlnCeps AV-  
rlaCVs,  
VICtor parlter & ProteCtor AngLlæ.



*Ic fuit in fatis, Princeps HEINRI-  
CUS ut esset*

*AURIACUS Victor, totius Angliæ a-  
mans.*

*Sic fuit in votis, fieret Protector ut idem*

*GVILIELMUS cæli Delicium Batavi.*

*Sic fuit in fatuis sociis, extrema Britanno*

*Structuris, hostis fraude, ope, perfidiâ.*

*GILLIUS hæc TOLLETUS ait ; plau-  
sumq; disertum*

*Declamatoris jure meretur ovans.*

*Politissimo Juveni, Amico*

*& civitati suo*

*gratul.*

GEORG. CASP. KIRCHMAJERUS,

Orator. P. P.



RECTOR MAGNIFICE,  
PATRES ACADEMIÆ CONSCRIPTI,

VIRI

*Summè Reverendi, Consultissimi, Experientissi-  
mi, Excellentissimi, Nobilissimi, Amplissi-  
mi, Clarissimi,*

*Domini Patroni, Præceptores, & Fautores, omni  
observantiæ genere colendi,*

*Tuq;*

*Gloriâ virtutum atq; Eruditionis florentissima  
Commilitonum concio!*



**Q**uod felix faustum-  
q;ve sit & fortunatum Po-  
TENTISSIMO SUECORUM  
REGI, INVICTISSIMO MONARCHÆ,  
CAROLO XI. Felici, Pio, Inclu-  
to! Quod Regno universo, & illi-  
us latepatientissimis Provinciis o-

A

pta-

ptatum fit ac salutare ! Hodiernus  
ipse dies, qvi emortualis CARO-  
LO Francorum - Germanorum  
Regi Magno qvondam fuit, No-  
minalis & serenus Serenisimo af-  
fulget PATRIÆ dilectæ meæ PA-  
TRI; mille vota, mille preces, mil-  
le gratulationes, expetens: UT VI-  
VAT DIUTISSIME, UT REGNET FELICISSI-  
ME, UT HOSTES SUOS VICTOR GLORIOSI-  
OR TRIUMPHET! SALUS PRINCI-  
PIS! Piorum omnium & singulo-  
rum, mea qvoq; servuli devoti vox  
fit ! meruit diei id solennitas. Hâc  
enim luce Gloriosus Noster CA-  
ROLUS, ut, qvo est in Musas ea-  
rumq; officinas & strenuos culto-  
res, incredibilem amorem, Regi-  
amqve munificentiam Orbi face-  
ret testatam, Nominalem sibi Aca-  
demiam, inclytam, & ex hostium  
sævitiâ, ferro atq; ignibus, bello pro-  
xi

ximo crudeliter grassante, jam feliciter reviviscentem, pristinumq; decus recuperantem, GOTHORUM CAROLINAM, summâ cum lætitia & pompa, Londini in Scania inaugurari jusfit florentissimam. Ubi videor videre, more veterum recepto, quomodo Conscripti Patres, quomodo sacrata Musis Juventus erectis ad pietatem & amœnitatem animis, instructis & ornatis ad solennia Templis atq; Auditoriis, Natalem hunc religionem maximâ concelebrent, Regis Optimi deprædicent, Clementiam & ineffabilem erga Artes Liberales & Scientias favorem admiratione cernuâ devenerentur: Pro Regis incolumitate & felicitate: longa, pro Regiæ familiæ perennatura prosperitate gloriâque supplices tendant ad Coelum palmas:

A 2

Per-

sonent res magnificè gestas Cathedrae, vota referant ac preces suggestus. Hic ille dies est, quo dulcissima Patria mea Regnum vetustate, virtute gloriaque celeberrimum, sibi de CAROLO Suo solenniter congratulatur, coronas nequit, spargit in desideratis rosas violasque; gaudent cum Svecis Gothi, cum Fennonibus Lappones, cum montanis insulani, cum Regno Provinciae, de Rege Gloriosissimo, de Heroe Invictissimo, de Patriae Patre Augustissimo, de Religionis orthodoxae constantissimo Palladio. Hoc nimirum die, quo in Aula Sueo-Gothica antiquae generositatis conscia, in laetas ominosae pietatis voces resolvuntur universa ora; quo & precum victimae & pro salute Regis supplicationes ad altaria & aras calent; quo  
in-

inter taratantara tubarum, inter  
tympanorum rauca murmura &  
pulsus perstrepunt Pallatia; quo  
pro incolumitate foederati PRIN-  
CIPIS AURIACI, & pro securi-  
tate Batavorum, contra infidum at-  
que invidum Gallorum Regem af-  
ferenda, in gravissimas deliberatio-  
nes coeunt Heroes Sveciae; non fu-  
it mihi committendum amplius, ut  
silentio ignavo praetermitterem in  
Academia Wittembergensi, verè  
orthodoxa, festam tot solennium  
memoriam: Sed ut religiosè revo-  
carem, publicoque documento a-  
liquo conceptas animi gratulatio-  
nes & suscepta, pro Regis Serenis-  
simi perpetua incolumitate, vota piè  
pariter ac sanctè declararem. Ast  
quod dicendi argumentum ex  
tot memoratu dignis feligam im-  
primis, ambigo. An, quoniam tri-  
B ce-

cesimus confenescentis mensis hu-  
jus Januarii penultimusq; dies (po-  
steaqvàm hæctenus elapsi Anni  
quadraginta sunt & unus,) recorda-  
tionem Regicidii in CAROLO  
STUARTO Anglicano, omine  
in præsens etiam ferali refricat, de  
pesfima Tyrañide CROMWEL-  
LI differam? An potius de furiali  
bello hoc, quod contra fidem, con-  
tra honestatem & inducias, consilia  
immiscens sua cunctis LUDOVI-  
CUS decimus & qvartus florentis-  
simis Germaniæ invexit terris, pro-  
feram in medium uberiora? Non  
apponam fanè Tabulam abomina-  
bilem Britannici Sejani, Olivieri scil.  
CROMWELLI; quam, de je-  
ctâ Regis statuâ, columnæ tum af-  
fixit, hoc infamem lemmate: E-  
XIT TYRANNUS, REGUM  
ANGLIÆ ULTIMUS, ANNO,  
LI.



LIBERTATIS ANGLIÆ  
PRIMO. Absint hodiè funesta;  
nec de nostri ævi Pharaone, Nabu-  
chodonosore, Antiochove inter  
Gallos suos, verba faciam, cum nu-  
per admodum id actum in hac Ca-  
thedra disertè fuerit. Absunto  
etiam hæc odiosa! materiem mira-  
culo affinem nostris, memorabi-  
lem posteritati omni proferam in  
scenam, de CIVILI NUPER ET MIRAN-  
DA BRITANNORUM METAMORPHOSI  
sermonem habiturus. Quotus e-  
nim quisque non attentione maxi-  
mâ afficiatur, siue temporum prio-  
rum æstimet acerbitatem, seu im-  
pudentissimam consiliorum scho-  
læ Lojolicæ vafritiem expendat;  
seu remedii velocitatem & felicitatem,  
à periculis externis liberandi  
Regni triplicis, vix intra spatium bi-  
mestre, Orbi ostentatam? Gallicis

B 2 &

& Romanensium imprimis SOLI-  
PSORUM machinationibus hæc cu-  
debatur faba in Britanos Protestan-  
tes & Hollandos ; ut Religio cum  
libertate damnaretur in exiliū ; ut  
vita pariter & fortuna hominum  
ac Civium innumerorum penitus  
pessundaretur, ut immanis laniena  
deniq; innocentissimorum patra-  
retur. Occasione fuerit, an causa in-  
struendæ istiusmodi tragædiæ, præ-  
ceptæ diu, abrogatio testificationis?  
(quam lingvâ vernaculâ THE TEST  
appellant Angli) jam non defini-  
verim. Id certum est, solennem  
sanctionem hanc ante proximum  
decennium, ad præcavendum tur-  
bas varias in Regno tunc gliscen-  
tes, publico decreto stabilitam; quâ  
conceptis verbis idololatria Ponti-  
ficia ejurabatur; & suffragio in curia  
& sessione is excludebatur, qui non  
fa-

facramenti formulâ hanc confir-  
mabat legem. Freqvens sermo  
hactenùs freqvensqve consultatio  
agitabatur de TESTIFICATIONIS hu-  
JUS ABROGATIONE. Novitas præte-  
xebatur & infamia Oatis, & libertas  
Ordinum periclitata, & perplexa  
dogmatum scholasticorum ratio,  
Episcopo Oxoniensi, Samuele scil.  
Parkero, illa ingerente. Placuit id-  
circò Regi, placuit & multitudini  
aliqvandiu, ut specioso Syncretismi  
nomine concederetur sectis omni-  
bus & sectariis inñunitas credendi  
qvodlibet. Latebat anguis in her-  
ba, ut & Pontificiæ Religioni latior  
aperiretur campus, & non nisi Pon-  
tificii honoribus admoverentur  
fumis. Ita in compendio effectum  
est, ut non obscuris amplius succes-  
sibus propagaretur sola maximè  
Romana superstitio. Epistolæ fe-

C

cre-

cretiores interceptæ, ad confes-  
sionem Protestantium radicitus tol-  
lendam, impudentiùs reciprocatæ  
inter Sacerdotes ordinis Lojolita-  
rum; præter Gallicas, Leodienses  
nuperæ, de impenso Regis, pro Ec-  
clesia Romana promovenda, stu-  
dio magnificè paratragædiabant.  
Affirmaverat eventus ipse, seriò  
rem ita agi, cùm removerentur ab  
officiis Ecclesiasticis, civilibus, ut  
ante Aulicis ac militaribus auctora-  
mento publico proposito, impunè  
licitum Britannico Monarchæ de  
fortunis civium statuere, quod  
vellet. Eminens Dominium affe-  
ctabatur, si non penitè despoti-  
cum. Ut adolefceret hic foetus, & ac-  
quireret virile robor, nec relabere-  
tur ad externum Principem, con-  
trarium Romanis cultibus, succes-  
sio, cum legitimus deesset hæres,  
fictus

fictus est imaginarius, Mariæ Lau-  
redanæ beneficio; per aureum re-  
demptus Angelum, à Jesuitis, ali-  
us videlicet supponebatur.

Habetis fabulam, habetis & nar-  
rationē verā, Auditores, omnium  
ordinum honoratissimi; nunc, quid  
rerum porrò consecutum sit, quan-  
doquidem civilior Europa obstu-  
pescat profundissimam calliditatē,  
breviter eruere adnitar: si de ve-  
stra **RECTOR MAGNIFICE,**  
**PATRES CONSCRIPTI,**  
Fautores item & Coñilitones No-  
bilissimi lectissimiq̄; certus sim be-  
nevolentia; quam reverenter atq̄;  
humanissimè imploro!

Galliæ antiquus mos, in Britan-  
norum turbido pendentem sem-  
per hamum detinere. Artem hanc,  
si quisquam alius, Rex **LUDOVICUS XIV.** à Mazarini jam tum

C 2

fui

fui tempore exercuit folerter.  
Qvid & ante, & post parricidium  
STUARTI CAROLI, cum  
Proteſtoris nomine Tyrannus re-  
geret CROMWELLUS, qvid hucuf-  
que actitatum fit, in Anglia, impri-  
mis & Hybernia hiftoriæ loqvun-  
tur fatiſ. Potefſtatem nulli homini  
obnoxiam pollicebatur LUDO-  
VICUS Rex, JACOBO Regi  
Britannorum, ſi confiliis ad ever-  
tendum Ordinũ Fœderatorum &  
inter ſuos qvoq; Hæreticorum (ita  
Proteſtantes vocant) ſtatum, lo-  
cum unicè relinqveret. Excogi-  
tata mira eó artificia, vel vitia, huc  
tandẽ profuere, ut indueretur leo-  
nina, ſi vulpina non ſufficeret; ad-  
hiberentur arma, ſi non perſvade-  
rent verba; pro exemplo eſſe nu-  
ptias Pariſienſes ex ſuperiori, ex  
præſente, vel jam ſeneſcente ſecu-  
lo

lo, omnimodum excidium, in Gal-  
liis, Reformatorum. Multa mili-  
tum subsidiariorū millia, sed milli-  
um æris numerandi plura, ad hoc  
absolvendum molimentum maxi-  
mum, promissa: missa tela omnis  
generis, & inter isthæc pro sicariis  
onusta cultris grandioribus, ni fal-  
lor, octoginta mille, navis. Quid  
his talibus indigitatum aliud, quàm  
Mitridaticum edictū, quoad con-  
stitutum diem omnes pariter Ro-  
mani Italiq; cum mulieribus & libe-  
ris contrucidati sunt per universam  
Asiam. PLUTARCHO nempe teste,  
centum quinquaginta millia mi-  
ferrimè interierunt.

Lanienam similem, sub AHAS-  
VERO Rege, HAMAN in Ju-  
dæos præconceperat; experti, pro-  
pter scelera patrata, fatum sunt  
horribile nocentes GALLI IN SICI-

D                      LIA

LIA AD VESPERAM. Parisienses nuptias non repeto; sed Anglicanam, contra Augustissimum JACO-  
BUM MAGNUM Regem, atque  
Optimates conpirationem, (quæ  
in annum quintum seculi tum ine-  
untis hujus & in Novembres nonas  
parabantur, PERCIO in primis parri-  
cidiale nefas, per GUIDONEM FAUXI-  
UM executuro,) ficcis pedibus non  
possum præterire. Ingens, ex  
Barclai ore, atrox, horredumq; fa-  
cinus, quæ nec antiquitas vidit, &  
ægrè credent posteri, id fuit. West-  
monasterium oppidum continua-  
tis domibus Londino junctum, Re-  
giam, ad amnem, & secundum il-  
lam ripam Curiaë Theatrum utri-  
usq; & ibidem Duces, Marchiones,  
Comites, Vice-Comites, Barones,  
Civium delectos Judices & Magi-  
stratus, illo tempore complecteba-  
tur.



tur. In inferiori sede subterranea, quæ subjacebat Curiaë, triginta duo dolia pyrii pulveris selectioris, super illa massæ ferreaë, quæ flammæ viribus elatæ ultra fulminis impatientiam sævirent, lapides ingentiaq; rupium fragmenta, pulveris folius pondo penè novem millia reperta & detecta. Dolium multo cæteris capacius intra cellam Regiam depositum, nec dubitatum est; quin, si scelus habuisset exitum, cecidissent ultra triginta millia mortalium; ne clade unicâ deformaretur Civitas.

*O scelus! O veterum proles, vesana gigantum!  
Jamne juroat bellare diis? jam turbine diro  
Jam revocare chaos? patriæq; indicere mortem?  
Secula tot stirpesq; Deum, Patrumq; labores  
Unâ cæde rapi? furiaq; Erebusque negarent,  
Hoc tantum dictare nefas: Exhorruit æther,  
Et fremuere Dii, stupuitq; exterritus Orbis  
Nunc iterum legit ista dies? Quid perfida tela  
Abdere? quid tanto studio componere vultis?*

D 2

Non

Non mirum , si hæc volvens ani-  
mus, fatiscat rerum & terroris ma-  
gnitudine , ac torpeat attonitus ,  
nec fatis verba eluctetur. Barbari  
hæc limis adspectare oculis , ne-  
dum peragere sustinuerunt. Et  
Christiani Principes diutiùs indor-  
mient dedecori erubescendo ? Nos  
Protestantes miseros , qui de fortu-  
nis , de capitibus & libertate singu-  
las propemodùm in horas fluctua-  
mur ? Sed enim ad **GUILIELMI**  
**HENRICI** nomen sicut styli vene-  
ratione convenit procumbere ;  
sic & hîc subsistere tantisper , ad lu-  
dibria humanorũ casuũ nunc con-  
templanda juvat. Tanqvàm in Ja-  
niculo esset hostis , aut jam Adriani  
molem oppugnaret , publicis indi-  
ctis ante supplicationibus & reli-  
qvis cœlestis iræ placamentis , sum-  
ptus omnis generis profundere pe-  
cu-

cuniâ, milite, remisqve agere ac ve-  
lis, ex consensu Ordinum, ingens o-  
pus, tantum ut succurreret afflictis,  
cœpit Noster. Sedibus exciti suis Ba-  
tavi, straverunt æqvior Clasibus,  
vicariâ parati morte funera Anglo-  
rum redempturi. Venerandum  
Numen est, quòd datâ acceptâq; li-  
bertatis tessera, ad incendium com-  
mune extingvendum, animos pro-  
pitia vit, ut projectam servitutis pa-  
tientiam damnarent, Vindicemq;  
& Tutorem Regni triplicis applau-  
su atqve gaudio exciperent AU-  
RIACUM. Vidisti, Ducum Opti-  
me, tum quantis gratulationibus  
non tantum Ordo Procerum cu-  
jusqve dignitatis, tum Senatus &  
Nobilitas totius Regnatricis Insu-  
læ & Urbis Londinensis, quin & im-  
perita multitudo adventantē TE  
exceperit. Quàm promptis animis  
E si-

signisq;ve Viri Domini, Generosiq;  
Equites, & milites, & docti Tibi ob-  
viam processerint! Quâ universus  
populus alacritate ad spectaculum  
præsentia felicitis se effuderit: tanta  
etenim de Clementia, Justitia, ac  
moderationis tuæ, sicuti ad natio-  
nes alias, sic ad Britannos etiam  
opinio pervasit, ut ex omnibus Te  
unum eligerent Patronum atq;ve  
Protectorem. Non Areopagus At-  
ticus, non Ephori, nec Curia Qvi-  
rinalis quicquã sibi hujus vindicare  
possunt gloria, quod Tibi debeba-  
tur. Cum trahatur Tuo spiritu uni-  
versorum libertatis Angliæ aman-  
tium felicitas & spes, Tu magnæ a-  
nimæ ad reprehensionem pænè  
prodigus, pro tota victimam Te  
obtulisti Insula; quot contra Te op-  
positi mucrones timebantur; & nî  
fal-

fallor, metuendi porrò. Gallus enim, cristas rabiosus vindex erigens, minatur omnia extrema. Fallor? An conspirat ex Italia factorum inter suos caput Pontifex? incensor belli, arduo in colle Angelorum, fulmina, si liceat, expediturus, contra hos conatus tuos Jupiter. Et nescio quid moliantur focii facerrimi Lojolæ, genus hominum ad omnia extrema statuenda semper pronum. Regibus, nisi pareant eorum desideriis, infestum; quod, propter sicarios immisos, Francia non semel est in Regicidiis experta.

*Flectere si nequeunt Superos, Acheronta movebunt:*

ac moverunt olim in JACOBO, Britonum Monarcha, sapiente Cœli providentiâ erepto discriminibus paratis. Quid non iidem contra tot myriades Confessorum Refor-

E 2      matae

matae fidei in Galliis tentârunt ha-  
ctenus? Profectò horret animus vel  
cogitare tam immania patrata. De-  
finant in posterum Neronis & fimi-  
lium, inter Paganos Tyrannorum  
persecutiones in historiis exagge-  
rare adeò Scriptores. Sola unicaq;  
Gallia à, decem inde annis, persecu-  
tiones illas reddidit compendiosè?  
Quid non denique horrendæ ma-  
chinationis contra Protestantes vel  
minati, vel non obscure amplius  
moliti sunt Paterculi gigantum i-  
sti? Deus eqvidem averruncasit  
omnia sinistra fata, & confundat in  
calliditate sua callidos Machiavelli  
non tyrones, sed doctores! Ne in-  
juriâ hos tamen videar afficere, ad  
illud tempus provoco, quo à Ve-  
netorum Serenissima Rep. solen-  
niter fuerunt relegati polyprag-  
mones *exitiosi*. Ad *Augustum* provoco

*Thua-*

*Ibuanum, qui sub finem sacrae Poëse-*  
*os coloribus depingit vivis horum*  
*mores:*

*Nata Magistratum convellere, nata ministris*  
*Subtrahere obsequium, Præsidibusq; suum:*  
*Et viles Regnantium animas, ipsosq; necandos*  
*Horrendâ Reges proditione docet.*  
*Servandum pactum negat, argutisq; cavillis*  
*Detorquet magni jussa severa Dei.*

Audiamus alios & observemus a-  
nagramma lepidum & epigramma:  
FRATRES JESUITÆ, anagrammate  
significant, qui, quales, quanti?  
ESTIS REVERA FASTUS.

*O fratres Jesu, quos nominis urget abusus,*  
*Ore quod effertis, corde negatis idem!*  
*Estis revera fastus! nam qui sapit extra*  
*Scripturæ vocem, desipit ille Deo.*

Maximus societatis hujus præco a-  
liàs Gramondus, in Historiarum  
quintodecimo, malitiam presbyte-  
F ri

ri illius *Santarelli* non dissimulat,  
dum Romæ, Anno cIo lOc XXV.  
permissu ordinis totius atq; Gene-  
ralis Romæ, prodiisse pestilens &  
manu servi publici (carnificis) Lu-  
tetiæ exustum flammis scriptum me-  
morat seqq. Articulorum, quos  
hic liber continebat, in Regū Prin-  
cipumqve capita, hæc summa erat:  
*Summus Pontifex potest hæreticos Principes puni-  
re, pœnis etiam temporalibus; quapropter non so-  
lum excommunicare, sed & Regno privare, eorum-  
que subditos ab obedientia liberare potest. Aliud:  
Papa deponit Imperatorem, propter ipsius ini-  
quitates, & dat Principibus curatores, quando ipsi  
fuerint inutiles ad regendum subditos. Papa si-  
ne consilio deponit Imperatorem; quia Papæ &  
CHRISTI unum est tribunal. Aliudq;: Papa  
potest deponere Imperatorem & Reges, pro delictis,  
punire, Reipubl. hoc expediens, scil. ut sit aliquis su-  
premo Monarcha, qui Regū ejusmodi excessus pos-  
sit corrigere. Audite porrò: Possunt summi  
Pontifices ex causa amovere Reges, & deponere*  
Imp.



*Imperatores, sicut sæpè accidit, & visum est; quando scil. eorum malitia hoc exigit, & Reip. necessitas requirit. Similis coccyismus deprehenditur in cæteris: Ratione fidei, aut peccati gravis, aut manifesti (si incorrigibilis fuerit Imperator aut Rex) potest eum Papa deponere; nec tantum propter schisma, hæresin, aut aliud crimen tolerabile in populo; sed etiam propter insufficienciam. Hos aliosqve flosculos ibidem prodidit Gramondus.*

Hæc licet sint immania Jesuitarum postulata, tamen hodieq; approbantur à frementibus Zelotis Romanensium, a vitas superstitiones propagantibus. Et famæ publicæ exploratissimo doceri potest testimonio, quæntoperè, ut Gallis simul & Hispanis placeant, affectent partes alii Gallorum, Hispanorum alii; pars utraqve decipiat incautos. Nec enim ultra, quàm propria illorum patitur utilitas, cuiquã inservire solent: utuntur hâc in

re mirabili cū simulandi, tūm dis-  
simulandi artificio; dum se fingunt  
quidam addictissimos Hispanis,  
quidam Gallis, alii Germaniæ Im-  
peratori & Principibus aliquibus;  
quorum expetunt favorem, aut  
promotionem. Cumq̄ venōrint o-  
mnium penē Ordinum conditio-  
nem, scientissimi negociorum au-  
cupes, quæ in consiliis, quantum-  
vis secretissimis, quotidiē tractan-  
tur, Regum Administris hæc & a-  
lia persuadent atq; præseferunt; ut  
turbetur pax civilis, mutuaqve in-  
ter Principes disseminetur diffiden-  
tia. Jam mihi opportunè incidit,  
ROBERTI fraus PERSONII, QVO PATER ANGLIÆ  
assistens librum scripsit, añis tūm su-  
periorib9 adversus Regis Scotiæ in  
Angliam, successionem; quem  
*Pater* alius *Patratus*, ex Societate hac,  
WILHELMUS CRITTONIUS, contrario,  
ut

ut videbatur, libro edito, pro Re-  
ge Scotiae oppugnauerat, *Personii*  
momenta refutando, & dissensionē  
mutuam prae se ferendo; etsi frau-  
dulenter omnia fiebant, fabulā con-  
sensu sociorum sic instructā: ut ni-  
mirum, qualiscunq; tandem succes-  
surus esset, ipsis optima occasio ad  
invadendas opes Angliae ac poten-  
tiam praeripiendam caeteris, dare-  
tur. Veritas non vitio vertetur, Au-  
DITORES OMNIUM ORDINUM HONO-  
RATISSIMI, si de *Personii* ejusdem  
Anglicano scripto, nomine refuta-  
tionis Anglicae infami, adferā non-  
nulla. Hoc in volumine, post re-  
prehensum Cardinalem *Polum*, ob  
virtutem sanctimoniamq; vitae  
celebrem, concluditis paterculus:

*Si quando Anglia ad veram fidem, i.e. Pontifici-*  
*am, sese recipiat, se illam redacturum ad hanc for-*  
*mam; bona omnia Ecclesiastica in commune con-*

G feren-

ferendo. Curam horum Viris VII. sapientibus,  
ut sunt Jesuitæ, committendo; qui, prout ipsis com-  
modum videbitur, distribuant. Deinde adjicit;  
ut primùm Anglia redacta fuerit ad obsequium  
Romanæ fidei, consultum minimè videri, ut Eccle-  
siasticorum beneficiorum fructum Pontifex quin-  
quennio percipiat priori; omnia illorum Sapien-  
tum potiùs iudicio & manibus censeri permitten-  
da, dispensanda in Ecclesiæ florentem usum.

Quotusquisq; ex hâc rasorum ra-  
sa tabula non videt avaritiam Lo-  
jolitarum & ambitionem? Quid  
verò tempore GREGORII XIII. Pon-  
tificis est factum? An non Ecclesia-  
rum Romæ omnium Parochiali-  
um possessionem sibi postulârunt  
tradi? Cumq;ve id non possent ob-  
tinere in Capitolinis sedibus, obti-  
nuerunt deniq;ve in Anglia: hinc,  
qui in voto Jesuita fuerat, Archi-  
presbyterum curârunt eligi. Arca-  
num prodere si par est, Auditores  
Celeberrimi, ignoscite fassuro:  
To.

*Totus à Pontifice dependens orbis ille superstitio-*  
*sus absolvitur ferè in voto Jesuitis.* Sed nunc  
regyremus ad Britannos nostros, in  
quos ista cudebatur faba ; ut re-  
nati Evangelii præcones locum  
personatis institoribus relinqve-  
rent; ut acerrimi Papaliū errorum  
vindices exauctorarent Præfules  
Britannos; ut deinde, nisi prius, Ba-  
tavi opprimerentur, & deberent solum  
*ordinis beneficium immuni Polyphemo.* Rati,  
quod res erat, Belgæ, suam agi cau-  
sam cum Britannis, prævenire ma-  
luerunt meritò, quàm præveniri.  
Annon enim Serenisimus eriperet  
**AURIACUS** cervicibus jam imi-  
nentes gladios? non illicò in ag-  
gressores ferrum expediret? Liber-  
tatis magisterio formati mores, se-  
culum emendaturi; si servitiis infe-  
ctas mentes pristinae poeniteat for-  
tunæ suæ, animas, non nisi Deo con-  
se-

secrare maluerunt. Inhiabat Gal-  
lus, quasi feritatis barbaræ concessio  
jure adeò in liberarum Respublicarum, ac  
grassabatur, quasi ultra Attilæ fu-  
rorem pluribus involvere ruinis e-  
as niteretur. Stupra, cædes, expila-  
tiones, & incendia miscendo, ultra  
fulminis impatientiam defævie-  
bat rabies Tyranni. Parricidiale ne-  
fas temerè Palatinatui illatum sty-  
li vindicare parum poterit acerbi-  
tas. **Ulcisci debuit AURIACUS**  
non jure tantum sanguinis Britan-  
nici, sed & Religionis. Ergo ab  
ignotis etiam invito Tibi, Domi-  
ne, sunt audiendæ laudes; quas si-  
lentibus ingratis ipsemet gratula-  
bundus alter iste orbis ingerit.  
Fruaris tuâ illa innocentia; sed mi-  
hi providendum est, non tam, quid  
dicere me deceat, quam quid aures  
tuæ patiantur. Nihil quidem tuæ  
accessurum esse gloriæ confiteor,  
Ora-

oratione qualicunq; nostrâ; inter-  
est posteritatis tamen, prodere ad  
imitationem tot illustramenta fa-  
mæ ac heroica facinora. Sed quò  
simplicius, hoc veriùs hæc tangi-  
mus; quæ in mortalium conspectu,  
& in luce publica, in ore famæ, o-  
mnibus attonitis, & fidem vix ha-  
bentibus vel sibi, celebrantur. Bata-  
vi sub teste tanto atqve laudatore  
spiritum profundere parati, cum  
pro singulis lacefferet is lethû. Me-  
ritus à multitudine *gramineam* non  
modò, sed in primis propter tot fer-  
vatos cives, *quærnâ* & victrices lauros,  
hederâ serpente circa caput. In ipsa  
Regni penetralia admissus, dubiû,  
an charior Proceribus extiteris?  
an venerandus magis militi civiq;?  
incredibile posteritati, & præfenti  
ævo inauditum, sine murmure, sine  
gemitu, à tot externis legionibus,  
tot myriadibus, majori semper af-  
H afflu-

fluenteturbâ, excipi. Divino Principi tot gentes maritimas propitiavit indulgentia cœlestis, tot Urbes opere ac naturâ munitissimas aperuit, tot peperit honestamenta, quot non possumus enumerare. Animo majore deprecatus aliena diu sceptra es, quam affectare solent alii. In quo vis admirandæ tuæ sapientiæ elucet, quam non satis admirari licet. Supereminens auctoritatis decus abs Te spretum, propter libertatis publicæ amorem. Animæ videlicet cœlestis nominis æternitatē gloriosis & egregiis exæquant factis. Paria, quæ de TRAJANO, Plinii confessione, prædicaverant Romani, dicant de AURIACO Britanni: Scis, ut, sicut diversa natura dominatio & principatus, ita non aliis esse gratiorē Principem, quam qui maxime graventur dominum. Hos ergo provehis & ostentas, quasi



si specimen & exemplar, quæ Tibi  
secta vitæ, quod hominum genus  
placeat. Ideò non Censuram hacten-  
nùs, non præfecturam morum rece-  
pisti; quia Tibi beneficiis potius,  
quàm remediis ingenia experiri  
placet: Nosti pariter, miscere liber-  
tate Principatum. Desinant illude-  
re Germanis Galli, a sinino pressi o-  
nere à dominatu impotente! Di-  
scant, si non revereri Teutones, ti-  
mere tamen, veluti actores ferios,  
quantumvis feros, tot injuriarum  
illis illatarum! Transeundum mihi  
aliò, & propius, sed reverenti ani-  
mo ad Serenissimum AURIACUM  
Heroa est; nec sine voto tamen. Me-  
liora, imò Tibi optima promittit  
fata Numen, cujus patrociniò huc-  
usqve tutus, cujus nomine acce-  
ptus atq; venerabilis Britanniæ fuisti:  
Regni triplicis salutem & securita-  
tem Tibi obligasti: foedera cum Re-  
bus publicis, assvetis libertati, nova

H 2

&

& arctissima adversus Gallos, pu-  
blicos prædoes, iniisti. In Provin-  
ciis, potentiâ amplissimis, Religio-  
nem stabilire illibatam, & à super-  
stitionibus Romanis repurgare,  
nullus dubitasti. Bona propria  
perpetuaqve illa Tibi DEUS ser-  
vet, & consummatissimæ perfe-  
ctionis apicem adjiciat! TE, SUMME  
REGIONUM ET REGNORUM ARBITER,  
CUSTOSQVE PRINCIPATUUM, AD CUJUS  
NUTUM GUBERNANTUR OMNIA ET VI-  
GENT, TE, INQVAM, SUPPLEX VENEROR  
AC POSCO, UTI PROPITIUS ET VOLENS  
HUNC VICARIUM COELESTEM SERVES!  
TUUM ENIMVERO MUNUS EST, VIRTU-  
TUM HARUM GLORIAM TRANSMIT-  
TERE ÆTERNITATI! QVAM UT IPSI QVI-  
DEM INDUANT SUMMATES, CLEMENTIA  
ET BONITATE USI, SINE TE NIHILOMI-  
NUS INFELICISSIME CIRCUMDANT SIBI.  
COALESCANT ANGLICANA PARITER ET  
BATAVA PRO PACE ORBIS CHRISTIANI  
PECTORA! QVÆ NULLA SECVLORUM SOL-  
VAT DIRITAS, NULLUSQVE TURBO FRANGAT! SALVUS,  
LONGUS, ET INCOLUMIS PERDURET, GUILIELMUS  
HENRICUS, Dux AUGUSTIOR ET REGIUS SUCCESSOR!  
FORTUNAM SEMPER SUAM, ID EST, PROSPERAM EX  
VOTO ET SENTENTIA EXPERIATUR.

DIXI.





Pom

Ge 3656

20

ULB Halle 3  
001 500 848



Sb.

D

schon

V017

6078

ml





SERENISSIMO ET INVICTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

CAROLO XI.

SVEVORUM, GO.

ET VANDALO.

HÆREDITA-

FINNLANDIÆ, DUCI

ONIÆ, LIVONIÆ, CA-

E, VERDÆ, STETINI

UBIÆ ET VENEDO-

UGIÆ, DOMINO IN-

ARIÆ, UT ET COMI-

AD RHENUM, BA-

E ET MONTIUM

DUCE

DOMINO SUO

REVERENTISSIMO,

*sumâ devotione*

*dat, dedicat, & offert*

*servulus humilimus*

*GILLIUS TOLLER.*

